



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**R. P.|| VINCENTII|| BRVNI, SOCIE-||TATIS IESV,|| BREVIS
TRACTATVS|| DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE,**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

VD16 B 8664


[urn:nbn:de:hbz:466:1-59993](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59993)



L. I

Th. 4475.

26.



V

D
P

In

Ch

R. P.
VINCENTII
BRVNI, SOCIE-
TATIS IESV,
BREVIS TRACTATVS
DE SACRAMENTO
POENITENTIAE, CVM EXA-
mine generali ad confessio-
nem de tota vita
ET,
MEDITATIONE VNA
pro Communione.
Ex Italico in latinum translata.



COLONIAE AGRIPPINAE.
In Officina Birckmannica, sumptibus
Arnoldi Mylij. M. D. XCVIII.
Cum gratia & priuil. Sac. Casarea Maiest.

VINCENZI

BRVNI SOCIET

TATI ISEN

ET ALII TRACTATI

DE REBUS NATURALIBUS

ET MATHESIBUS

ET ALIIS

LIBRIS

IN VNA

COLLECTIONE

ET ALIIS



UNIVERSITÄT PADERBORN

BIBLIOTHEK

UND MUSEUM

UND OBSERVATORIUM

1

DE SACRA-
MENTO PŒNI-
TENTIAE, EIVS-
QUE NECESSITATE.



AD Consolationem eorum qui verè pœnitentiam agere cupiunt, vt aliquam salutaris huius Sacramenti habeant notitiam, breuem que instructionem, quomodo præparare se debeant ad consequendam gratiam & remissionem peccatorum, quam **DEVS D. N.** in eo communicare solet: Primo agam in genere de hoc Sacramento. Quid sit, quamque conueniens & necessarium sit ad Salutem nostram. Deinde que sint eius partes, de quibus in particulari breuissimè aliquid dicemus.

Pœnitentia itaq; est Sacramentum à Christo institutum, in quo ministerio Sacerdotum remittuntur peccata actualia, & soluuntur omnia vincula ad culpam pertinentia, quibus hominis conscientia quodammodo fuit si-

A 2

gata:

2 DE SACRAMENTO

gata: remittitur quoq; poena æterna, & pars poenæ temporalis, vel etiam tota secundum dispositionem Pœnitentis.

CERTVM est, si homo quãdo creatus fuit in statu innocentia, mansisset à peccato immunis, non opus habiturum fuisse Sacramentis: at postquam preuaricatione diuini præcepti, cum tota sua posteritate miserabile naufragium fecit, necesse habuit vti Sacramentis. Et ideo clementissimus eius Creator in lege Euangelica Sacramentum Baptismi illi suppeditauit, tanquam primam tabulam, qua miser homo post fractam Innocentia nauem, conseruare vitam posset, & amissam gratiam recuperare.

VERVM quia tot sunt tentationes, & pericula turbulenti huius mundi, tantaque fragilitas nostra, vt sæpè accidat, vt amissa prima tabula gratia baptismatis de nouo incipiamus miserabiliter submergi: noluit nos benignus Redemptor noster altero remedio esse destitutos, & suppeditauit hoc Sacramentum Pœnitentia, quasi secundam tabulam qua æternæ mortis periculum possemus euadere, & peruenire ad æternam salutem.

Vnde

POENITENTIAE. 3

Vnde colligi potest, quanta sit huius Sacramenti necessitas, quippe quod, vti (Tridentinum decreuit, non minus necessarium est ad salutem eorum, qui post Baptismum in peccatum mortale inciderunt, quam sit necessarius baptismus ad salutem eorum, qui nondum sunt regenerati. Quare, sicut de non regeneratis ex aqua & Spiritu Sancto scriptum est, quod non introibunt in regnum celorum: Sic qui post amissam innocentiam baptismalem, negligent tabulam poenitentiae, nullam spem habere possunt salutis aeternae.

F V I T quoque Sacramentum hoc, remedium conuenientissimum, & valde congruenter nostrae infirmitati, à caelesti medico inuentum; qui admodum bene exploratam habebat debilis & infirmæ nostræ naturæ conditionem.

Vnde & pro sua infinita sapientia illi oportuna remedia, prauæ dispositioni contraria, prouidit, constituens, vt sicut primus homo post commissum peccatum se abscondit & coram Deo peccatum excusauit, ita, si vellet redire in gratiam, peccatum manifestaret, vt seipsum coram hominibus accusa-

4 DE SACRAMENTO

ret. Et, sicut peccator per diuini præcepti transgressionem superbe se exaltauerat, restiterat ipsi Deo, ita si obtinere vellet remissionem, humiliaret se, & ad pedes vnius hominis se abijceret.

Rursus, sicut homo peccando iniuria & contumelia affecerat DEVM, ita si vellet obtinere veniam, aperiret & patefaceret turpitudinē suam, ac pudore se ipsum coram hominibus suffunderet. Deniq; vt quas res homo inordinatē amauerat, & ex quibus voluptatē acceperat, eas veniendo ad pœnitentiæ Sacramentum, detestaretur, & summo odio prosequeretur.

Ex altera parte, etiamsi Pœnitentiæ radices primo aspectu videantur, duræ & amaræ, tamen propter maxima, quæ ex ea homo habet præsidia, fructus eius sunt dulcissimi & suauissimi. Pœnitentia enim nos gratiæ diuinæ restituit, & arctissima amicitia nos de nouo Christo coniungit. Quæ reconciliatio, in ijs quæ deuotē hoc sacramentum recipiunt, maximam conscientiæ pacem & tranquillitatem cum summa Spiritus iucunditate coniunctam procreare solet.

Cum ergo diuinum hoc remedium, tā
vtile

POENITENTIAE. ¶

utile & fructuosum sit animabus nostris, merito deberet omnis homo Christianus (cui sua salus cordi est) quā primū animaduertit se aliquod peccatum graue & mortale incurrisse, sine mora accurrere ad hūc diuinę misericordię fontem, & hoc non modo semel in anno, verum etiam sæpius propter ingentia commoda quę anima nostra inde accipit, & propter magna pericula, quibus se exponunt, qui peccata sua sinunt inueterascere.

QVATVOR enim mala sunt & damna, quę animę inferuntur à peccato mortali.

PRIMUM est, quotiescunque homo est in peccato mortali, & de nouo idem committit, illud, etsi easdem circumstantias habeat, priore tamen efficitur grauius, & consequenter tertium est grauius secundo, & quartum tertio, & sic deinceps magis magisq; crescit culpa & pœna cuiusq; peccati in infinitū. Causa huius rei est, q̄ quo Deus plus tēporis, peccatori cōcedit ad conuersionem, hoc magis crescit eius ingratitude, diuino beneficio abutētis & quotidie Deū nouis peccatis offendentis.

SECUNDVM malum est, quod dum homo vnū peccatum cōmilit, viamq;

6 DE SACRAMENTO

parat ad facile committendum alterum, nam, vt dicit S. GREGORIUS, tanta est peccati grauitas, vt si non corrigatur, subito, suo pondere hominem trahat ad committendum aliud, & hoc ad tertium, & tunc deinceps, donec quædam sit peccatorum catena, quasi multorum annulorum, quorū vnus trahit alium, vt qui trahit vnum, trahit omnes. Sic etiā homo, si in peccatum lapsus, non illico resurgat, paulatim in multa alia peccata dilabatur.¹

TERTIVM damnū est, quod homo existens in peccato mortali, iacturam facit omnium bonorum operum suorum; nihil enim profunt ad promouendam vitam æternam. Et quamuis postea redeat in gratiam, non tamen idcirco prodesse incipiunt. Quare nec elemosynæ, nec orationes, nec ieiunia, nec indulgentiæ, nec martyrium ipsum pro Christo susceptum, illi profunt, si cum peccatorum suorum non pœnitet, profunt vero tantum ad obtinenda bona temporalia, & pro dispositione ad pœnitentiam impetrandam.

QVARTVM damnū est, quod peccatum magis magisque paulatim
miser.

POENITENTIAE. 7

misericiordiæ diuinæ portam occludat, vt tandem vix spem relinquat veniæ à Deo obtinendæ. Quod enim refugiũ superesse potest homini in peccatis perseueranti, nisi paululum spei, quod fortè Deus eius miserebitur, iam, quo diutius persistit in peccato, eo magis discedit à misericordia diuina, & propius accedit ad diuinam iustitiam, prouocando magis magisque Dei iram, vt vindictam sumat de peccatis.

Deniq; sicut videmus in rebus externis euenire, quo diutius macula aliqua panno inhæret, hoc difficilius postea tollitur, similiter, quo homo rarius peccat & purgat capillos, hoc magis implicatur, & sordibus replentur; sic quo anima longius differt se expurgare per Cõfessionẽ, eo difficilius postea se expurgat, & ob multitudinẽ peccatorum magis intricat, tantaque anxietate obruitur, vt ne à docto quidem Confessario extricari possit. Ac, quod amplius est, gignit & nutrit in se Vermem conscientiaẽ, quem & si in hac vita non sentit, tamẽ in hora mortis crudeliter mordentem sentiet, & multo amplius postea in futuro sæculo. vbi Vermis iste nunquam moritur,

A 5 nec

8 DE SACRAMENTO
nec ignis, qui eum combasturus est,
extinguitur.

DE PARTIBVS POENI-
tentia.

TRES sunt partes integrales pœni-
tentia Sacramenti. Contritio, Con-
fessio & Satisfactio. Nam sicut homo
tribus modis peccat & DEVM offen-
dit, nempe, corde, verbo, & opere, sic
conuenit vt clauibus Ecclesiae se subij-
ciat, ipsis rebus quibus DEVM offen-
dit, & iram DEI auertere studeat, pri-
mo Contritione cordis, secundo Con-
fessione oris, tertio satisfactione ope-
ris.

Et hæ tres partes necessariae sunt ad
perfectionem huius sacramenti. Nam
sicut corpus humanum conflatum est
ex pluribus membris, vt manibus, pe-
dibus, oculis, alijsq; partibus, quarum
si vna deesset, merito dici posset im-
perfectum: eodem modo pœnitentia
sic composita est ex tribus partibus, vt
si vna deesset, opus esset dicere perfe-
ctioni eius aliquid deesse.

DE PRIMA PARTE
Pœnitentia, quæ est Con-
tritio.

CON-

POENITENTIAE. 9

CONTRITIO est dolor animi, & detestatio peccati cōmissi (quatenus est offensa Dei supra omnia amati) coniuncta cum firmo proposito mutandi vitam, & in futurum nunquam peccandi.

Vnde sequitur, non esse satis homini ad acquirendam gratiam, aut tantum abstinere à peccatis, aut tantum propositum facere de mutanda vita, sed necessarium est vtrumque, hoc est, vt doleat detesteturq; vitam antea actam, & firmiter constituat in animo non amplius peccare. Neque necessarium est, vt dolor ille sit sensibilis (ctsi, quando haberi potest, valde bonus sit & utilis) sed satis est, vt sit in volūtate quæ & abhorreat à peccato commisso, & nolit in posterum admittere.

Debet tamen dolor illē esse maximus, & omni alio dolore maior. Nam sicut Deus, quia est summum bonum, debet amari supra omnia, eiusque amor anteponi debet omnibus rebus: sic peccatum quo DEVM offendimus, quia est summum malum, debet odio haberi supra omnia: sic vt ob nullam rem huius mundi, imo nec ad propriā vitam tuendā, licitum sit ynquam peccare,

10 DE SACRAMENTO

Matt. 8. care, cum dicat Dominus. *Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non est me dignus. Et, Qui voluerit animam suam saluam facere perdat eam.* Verum deberet homo potius pati quidlibet, quam offendere DEVM, vel in posterum velle offendere.

Iac. 2. DENIQUE necessarium est, vt poenitens oderit omnia peccata commissa, & de illis doleat. Nam si de aliquibus tantum doleret, & non de omnibus, non esset vera poenitentia, sed ficta & simulata; cum dicat S. IACOBVS. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Ioan. 8. Preterea vt contritio sit vera, non sufficit, vt homo doleat de peccatis praeteritis, sed facere debet firmum & stabile propositum omnino emendandi vitam suam. Legimus enim saepius in Euangelio, Dominum, postquam aliquem sanasset, alioque beneficio affectisset, subiunxisse. *Vade & noli amplius peccare.*

Ad hanc contritionem quoque pertinet (si peccatorem vere poeniteat, proponatq; vitae emendationem) velle satisfacere omnibus (quos aliquo modo offenderit, siue in vita, siue in facul.

POENITENTIAE. II

facultatibus, siue in honore. Nam sicut aasserit S. Augustinus. *Non dimittitur Ep. 54. peccatum, nisi restituatur ablatum:* Remittere quoque liberè & condonare iniurias ab alijs illatas, cum Christus dixerit, *Si demiseritis hominibus peccata eo Mat. 6. rum, Pater quoque cælestis demittet vobis Marc 11. peccata vestra. Si verò non dimiseritis eis, nec pater vester vobis dimittet peccata vestra.*

Postremo ad perfectionem huius virtutis necessarium est, vt homo habeat propositum confitendi omnia peccata sua, minimum mortalia, & faciendi poenitentiam, quam pro illis sacerdos iniunxerit.

DE II. PARTE POENITENTIAE qua est Confessio.

SECUNDA Pars Poenitentiae est Confessio. Nam etsi contritio, si vera sit, ex se vim habeat expiandi peccata, tamen quia Poenitens non potest verè dici contritus, si non habeat propositum confitendi, & sepè contingit, vt non habeat tam perfectum dolorem, qui sine confessione sufficiat ad impetrandam peccatorum veniam, &

DE SACRAMENTO
recuperandam gratiam, idcirco neces-
se est, quantum fieri potest, confiteri
Sacerdoti ut virtute clauium peccata
dimittantur.

DE CONDITIONIBVS

Confessionis.

QVATVOR sunt principales con-
ditiones Confessionis ut sit valida,
nempe, ut sit integra, diligens, fidelis,
& obediens.

PRIMO debet esse integra. Necessa-
rium enim est Sacerdoti manifestari
omnia peccata mortalia, quæ quis cõ-
miserit, & quorum potuit recordari, ex-
plicando vnumquodq; in particulari
secundum suam speciem & numerũ,
ut infra dicetur, sic ut Confessarius
cuiusq; grauitatem possit intelligere,
& dignoscere, sitne mortale an venia-
le. Quod vero ad peccata venialia at-
tinet, etsi hominem non priuent gra-
tia Dei, & sine peccato possint taceri,
nihilominus valde utilis est ea quoque
confiteri, ut demonstrat vsus piorum
& spiritualium hominum.

SECUNDA Condicio est, ut sit Dili-
gens, hoc est, ut homo, antequam ad
Confessionem accedat, diligenti con-
scientiæ examine ad eam se præparet,
ad

POENITENTIAE. 13

ad quam diligentiam alij plus, alij minus obligantur, prout ratio temporis quo confessus non est, vel cōditio & occupatio hominis postulauerit.

TER-TIA est, vt sit Fidelis, id est, vera & syncera, nempe vt neque omittat confiteri vllum peccatum quod commiserit, nec vllum confiteatur quod non commiserit, sed dicat dubia pro dubijs, & certa pro certis: Debet quoque esse fidelis, hoc est, nuda & simplex, non artificiosè composita, aperiendo syncerè omnia peccata, non excusando, tegendo, vel extenuando rem vllā. *Humilibus enim, vt alicubi scri 1. Pet. 5* ptum est, Deus dat gratiam.

QVARTA & vltima Conditio est, vt sit Obediēs, hoc est, vt Pœnitēs habeat propositum faciendi quicquid ei Cōfessarius iniunxerit, vt videlicet peccatorum suorum remedia, quæ ille suggererit, acceptet, vt omnes fugiat occasiones, quæ ab eodem prohibita fuerint similiter vt restituat, si quam rem alienam retinet, aut satisfaciat omnibus ijs, quibus aliquid debet, & denique vt æquo animo pœnitentiam suscipiat, quæ à Confessario imponetur.

DE

14 DE SACRAMENTO
DE MATERIA CONFES-
sionis, hoc est, de rebus quas tene-
mur confiteri.

Et primo de Speciebus Peccatorum.

Primum debet Pœnitens in parti-
culari confiteri omnes species pec-
catorum mortalium, & vt possit cog-
noscere, quid sit peccatum Mortale,
vel non, sciat omnia peccata, quę sunt
contra aliquod particule præceptum
Dei vel Ecclesię, cõmuniter esse mor-
talia. Et omne illud quod in re ma-
gni momenti est contra amorem vel
honorem Dei, vel quod redit in graue
damnum proximi, est peccatum mor-
tale quod in Confessione debet mani-
festari. In quavis vero specie peccati,
nõ solum cõfitendum est, quid opere,
sed etiam quid cogitatione & locutio-
ne commissum sit.

In Peccatis cogitationis tribus casi-
bus peccatur mortaliter. I. quando co-
gitationi de peccato mortali quis præ-
bet assensum, executioni que manda-
ret, si haberet occasionem, etiam si po-
stea non exequatur.

II. Quando quis non habet quidem
voluntatem exequendi, sed vult im-
morari

POENITENTIAE. 15

morari in prava illa cogitatione, expressè volendo delectari in illa.

III. Etsi homo non se determinet, nec habeat expressam voluntatem se delectandi, tamen cum illi obijcitur prava cogitatio, & cognitam non abiicit, sed immoratur & delectatur in illa, quod peccatum propriè vocatur Delectatio morosa.

DE NUMERO PECCATORUM.

PRAETER species peccatorum, confiteri quoque debemus numerum, hoc est, quoties tale peccatū commiserimus, & si non meminerimus numeri, plus minus quantum memoriae occurret, aperiendus est. Et si nullo modo occurrat, dicat quanto tempore in peccato illo perseverauerit, & an solitus sit illud committere, quotiescunque dabatur occasio, & an occasio talis quotidie, vel aliquibus tantum vicibus in hebdomade oblata fuerit, patefaciendo quot vicibus id acciderit.

DE CIRCUMSTANTIIS

Peccatorum.

PRAE-

PRÆTER species & numerum peccatorum, oportet quoq; confiteri circumstantias, quæ in genere pos sunt reuocari ad quatuor capita.

Quorū primum est, quando circumstantia facit vt peccatum quod est veniale, fiat mortale, vt si quis ioco quippiam eripuisset alteri, vt prouocaret eum ad blasphemandum, aut si furatus esset vnum album, cum intentione plura furandi, si potuisset: quæ voluntas facit, vt actus qui erat venialis, fiat mortalis. Item cum quis facit aliquid cum conscientia erronea, putans esse mortale, quod tantum est veniale, nam tali casu fit mortale.

SECVNDVM est, quando circumstantia mutat speciem peccati, vt videlicet actus, qui primo erat vnus speciei, fiat peccatum alterius speciei, vel duarum specierum. Nam v.g. peccatum carnis commissum cum coniugata, est adulterium, cum religiosa, vel per votum obligata, est sacrilegium.

TERTIVM, quando circumstantia multiplicat peccatum, nempe, vt idem actus plura in se contineat peccata, vt si quis vescatur carnibus die Veneris in Quadragesima, aut si quis opere

pere committens vnum peccatum, mente & intentione committat alterum.

QUARTVM est, quando necessarium est explicare circumstantiam propter satisfactionem, quam poenitens debet peragere, nempe, cum peccato coniunctum est aliquod scandalum, aut graue damnum, aut iniuria proximi, cui homo forte obligaretur ad satisfactionem aliquam.

Verum vt homo possit magis in particulari cognoscere has circūstantias, quas tenetur confiteri, animaduertat has 7. circumstantias, præcipue in confessione aperiendas.

Prima est personæ quæ peccat, vel cum qua peccatur, an sit libera, vel serua, virgo, vel coniugata, religiosa, ordini sacro vel alij voto obstricta, an affinitate vel consanguinitate cum altera persona iuncta.

II est facti, quod homo committit cōtra legem Dei vel proximi, quantum fuerit, verbi causa, furatus multum né an parum, magnam rem an paruam. An offenderit personam magnæ auctoritatis nec ne.

III. est loci, quam tribus casibus oportet confiteri, nempe, quando homo
vel

vel furatus est, vel effudit sanguinem, vel semen proprium cum peccato in Ecclesia, vel loco sacro.

III. Est mediorum, quibus homo vitatur in peccato committendo, ut an alios prouocarit ut socij vel adiutores essent in peccato committendo, qui non erant parati ad peccandum, aut si usus sit rebus sacris aut alijs rebus vetitis ad peccandum.

V. Est Finis, quem homo in peccato intendit, ut quando furatur arma ad aliquem occidendum, vel occidit aliquem ad furandum vel adulterandum. Et similiter, quando quid dicit vel facit, ad inducendum alios ad peccatum vel propter quemcunque alium peruersum finem & intentionem.

VI. Est modi, quem tenet in peccando. Num peccarit occultè, ac publicè cum scandalo aliorum. An inferendo vim, ut faciunt publici prædones, vel alijs modis, qui contingere possunt.

VII. Et vltima circumstantia est, Tèporis, ut si sub pœna excommunicationis prohibitum esset, ne quis certo tempore furaretur, aut iuraret falsum, aut alud peccatum committeret, tali casu non esset satis confiteri peccatum, sed obligaretur etiam confiteri, quo tempore peccauerit.

De.

Deniq; etiamsi peccare die festo non sit circumstantia necessario confitenda, tamen si quis in præcipuo aliquo festo, vt in die paschæ, die Veneris sancto vel eo tempore, quo homo à Deo singulare aliquod recepit beneficium enorme aliquod scelus patraret, securius videtur si talis circumstantia, que valde aggrauat peccatum aperiatur.

QVANDO CONFESSIO
sit nulla & iteranda.

PRIMVS Casus est, Defectus Examinis, quando Pœnitens multis grauatius peccatis, & multo tempore non confessus, ante confessionem cōscientiam suam non examinauit, nec aliquod studium adhibuit reuocandis in memoriam peccatis. Quo casu si Confessarius non supplet defectum Pœnitentis, Confessio nulla est: nam necessario aliquod peccatum, quod memoriæ non occurrerit, prætermittet, quod perinde est, ac si ex industria prætermisisset.

SECUNDVS est, quando Pœnitens in materia peccati mortalis in Confessione mentitur.

TERTIVS, quando studio omittit peccatum aliquod mortale, vel quod
iudi-

judicabat esse mortale: nam si non iudicasset esse mortale, sed post confessionem intellexisset esse mortale, tum fatis esset illud separatim confiteri, non repetita tota confessione priore.

QVARTVS, quando pœnitens non habet firmum propositum relinquenti aliquod peccatum mortale, vel occasionem illius peccati, in quo se esse deprehendebat.

QVINTVS, quando Pœnitens incurrisset Excommunicationem, idq; sciens, non tamen curasset se prius ab Excommunicatione absolui.

SEXTVS, quando Confessarius est imperitus, & Pœnitens rationem bene confitendi ignorat, & cum sciat Confessarium esse imperitū & inidoneum, tamen vult ei confiteri. Verisimile est hoc casu multos errores committi, quorum ratio habenda erat.

SEPTIMVS, quando Confessarius non habet potestatem absoluendi, vel quia caret iurisdictione, vel certe, quia est publicè excommunicatus, idq; Pœnitens non ignoraret.

IN his omnibus casibus Pœnitens nō solum tenetur de nouo iterare confessionem, sed etiam propter contumeliam, quam malè confitendo intulit
Sacra-

Sacramento, commisit sacrilegium,
quod est peccatum grauissimum.

*SEQVITVR EXAMEN IN
Præcepta Decalogi, in quibus compre-
hensa sunt alia omnes materia, in
quibus potest peccari mor-
taliter.*

*Circa primum Præceptum, quod est Cole-
re Deum super omnia.*

CIRCA Fidem. An crediderit o-
mnia, quæ S. Romana Ecclesia cre-
dit, vel certe habuerit opinionem in
aliqua re fidei Romanæ contrariam.

An verbis vel signis externis infidelita-
tem aliquam vel hæresin prodiderit,
vel probarit.

An fuerit nimium curiosus, in inue-
stigandis rebus fidei, & an de aliquo
fidei articulo dubitauerit?

An apud se habuerit, vel legerit libros
hæreticorum, alios uel libros ab Eccle-
sia prohibitos?

An sciuerit orationes, aliaque neces-
saria, quæ quisque Christianus scire
tenetur, ut sunt mandata DE I, Domi-
nica oratio, Credo, & mysteria princi-
palia fidei?

An

An vsus sit aliquo genere superstitio-
num, incantationum, & diuinationum
per se vel alios.

An schedulas superstitiosas apud se
habuerit, ad sanitatem, aliam uero rem
obtinendam; & an alios induxerit ad
earum vsum.

An fidem habuerit somnijs vel augu-
rijs, accipiendo illa pro regula actio-
num suarum?

An nimium præsumendo de diuina
misericordia commiserit aliquod pec-
catum, vel in malo perseuerarit, diffe-
rendo emendationem?

An in rebus aduersis fiduciam potius
in creaturis, & auxilio huius mundi,
quam in Deo collocarit.

An diffidendo misericordiæ diuinæ
desperauerit de emendatione uitæ, vel
remissione peccatorum obtinenda?

An murmurauerit contra Deum, con-
querendo, quasi non esset iustus, vel
reprehendendo eius prouidentiam?

An per timorem alium uero respectum
humanum cogitauerit offendere Deum,
aut non facere, quod pro suo officio
& Dei seruitio facere tenebatur?

An auersionem cum quodam horro-
re à Deo habuerit, & rebus diuinis ad
salutem suam pertinentibus?

An

POENITENTIAE. 23

An maledixerit, vel blasphemauerit Deum, aut Sanctos, aliasque creaturas?

An exposuerit se periculo peccandi mortaliter, vel an complacuerit sibi in peccato olim commisso.

An persecutus sit & calumniatus hominibus pijs, detrahendo bonis eorum operibus, & impediendo, ne illa facerent, & sigillatim an impediuerit aliquem, ne ingrederetur religionem.

CIRCA II. PRAE-
ceptum.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

AN iurauerit falsum, sciens esse, vel certe dubitans esse mendacium, siue ioco factum sit, siue de re leui?

An iurauerit, promittendo rem licitam quam postea non obseruarit, aut intentionem habuerit non seruandi cum iuraret?

An causam dederit alicui, ut falsum iuraret, vel non obseruaret iuramentum licitum.

An iurarit, adiuncta maledictione, v. g. auferat me diabolus, tale vel tale malum mihi eueniat, si non fecero, & c.

An iurarit se malum aliquod vel pec-

B catum

24 DE SACRAMENTO
caturum commissurum, aut nihil boni
facturum?

An iurauerit minando alicui, sine in-
tentione exequendi iuramentum?

An in iudicio iurauerit falsū, vel iuri-
ridicè interrogatus nō respōderit con-
formiter intentioni iudicis, vel cōsiliū
dederit alijs id faciendi. Quo casu non
solum peccat mortaliter, verum etiā
obligatur ad restitutionem, si inde se-
cutum est aliquod damnum proximi.

An habuerit consuetudinem sēpè iu-
randi, non curando aut consideran-
do, num verè vel falsò iuravit?

An fecerit votum faciendi aliquod
bonum, & non curarit exequi, vel exe-
cutionem distulerit in longū tempus.

An nouerit aliquid, cum intentione
non adimplendi votum?

An nouerit se nihil boni acturum, aut
aliquid mali acturum, aut bonum qui-
dem acturum, sed propter malum fi-
nem?

CIRCA TERTIVM PRAE- ceptum.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

AN dies festos violauerit, faciendo
vel mandando alijs opera prohibi-
ta ab

ra ab Ecclesia, vel consentiendo illis qui faciunt.

An neglexerit audire Missam integrā diebus festis quæ sunt in præcepto, sine causa legitima, vel causam alijs dederit eam negligendi?

An per notabile temporis spatium in Missa fuerit voluntariè distractus, loquendo, ridendo, vel occupando se in rebus inanibus.

An curarit subditos suæ curæ subiectos diebus festis interesse sacrificio Missæ.

An confessus sit minimum semel in anno, aut non curarit, vt idem facerēt omnes suæ curæ subiecti?

An confessus sit sine antegresso examine conscientia, vel sine proposito deserendi aliquod peccatum, vel ex pudore humano alia uē de causa retinuerit aliquod peccatum?

An quouis anno tempore Paschæ communicarit, ea que dispositione, qua oportet?

An cum conscientia certa vel dubia peccati mortalis receperit vel administrarit aliquod Sacramentū Ecclesiæ?

An ieiunarit per Quadragesimam, Vigilias & Quatuor tempora, cum sit obligatus: & an ijs diebus vsus sit

26 DE SACRAMENTO
cibus prohibitis: aut alijs causam dede-
rit idem faciendi?

An propter gulam non curarit trans-
gredi aliquod præceptum, & an intem-
perantius comederit vel biberit cum
notabili damno sanitatis, & an sponte
se inebriauerit?

An violauerit Ecclesiam aliquo pec-
cato carnis, vel effusione sanguinis?

An incurrit aliquam excommuni-
cationem, vel excommunicatus, parti-
ceps fuerit alicuius Sacramenti, aut in-
terfuerit officio diuino, aut versus sit
cum excommunicatis?

An cõtumelia aliqua vel irreuerentia
affecerit imagines, reliquias sanctorũ,
aliasue res sacras?

An obligatus ad recitandum Breuia-
rium, omiserit recitare siue totum, si-
ue partem, & an recitando illud fuerit
voluntariè distractus?

An ex pigritia vel tædio rerum spiri-
tualium bonum aliquod opus, quod
facere tenebatur, omiserit?

CIRCA IV PRÆ- ceptum.

Honora patrem & matrem.

AN paruo honore affecerit patrem
& matrem, contemnendo illos,
vel

vel offendendo factis vel verbis con-
tumeliosis?

An maledixerit Patri vel matri, vel in
eorum absentia eos execratus sit, & de
decore affecerit?

An obediuerit parentibus vel superio-
ribus in rebus iustis, vel ijs rebus quæ
cedere poterant in damnum notabile
vel domus, vel animæ propriæ?

An parentibus in necessitate existen-
tibus, cum posset, subuenerit?

An deliberatè optauerit eorum mor-
tem, ad obtinendam hæreditatem?

An executus sit testamenta, & ultimas
voluntates defunctorum.

An ex nimio parentum amore, parui
penderit offendere Deum?

An non obseruauerit leges iustas, &
statuta superiorum?

An detraxerit, vel malum aliquod di-
xerit de superioribus Ecclesiasticis vel
secularibus, aut etiam de religiosis,
sacerdotibus, Magistris, Doctoribus.

An non subuenerit, cum posset, pau-
peribus, maximè in extrema vel graui
necessitate, & an durus nimis fuerit, &
crudelis erga eos, tractando eos asperè
vel verbis vel factis.

An parentes maledixerint suis filijs?

An educauerint eos, sicut debent, in-
struendo

28 DE SACRAMENTO
struendo eos in orando & doctrina
Christiana, reprehēdendo quoq; illos
& castigando, maximè in materia pec-
cati, occupando etiam illos honesto
exercitio, ne sint otiosi, & vias ingre-
diantur malas.

Quod dicitur de filijs, intelligitur quo-
que de seruis & alijs domesticis, quo-
rum curam habere tenetur: vt nempe,
discant necessaria, & obseruent man-
data Dei atq; Ecclesiæ.

CIRCA V. PRAE-
ceptum.

Non occides.

AN aliquem habue. it odio, cum de-
siderio vindicandi se, & quāto tem-
pore in eo perseuerarit.

An optauerit alicui mortem, vel aliud
malum graue & damnum corporis,
famæ, honoris, bonorum tam tempo-
ralium, quam spiritualium.

An ira commotus fuerit in aliquem,
cum intentione nocendi illi, vel vin-
dictam sumendi.

An contendendo cum alijs, verbera-
uerit aliquem vel vulnerauerit, vel oc-
ciderit, aut commiserit alijs, vt face-
rent, vel, quod suo nomine ab alijs e-
rat factum, approbauerit, vel ad id de-
derit

derit

POENITENTIAE. 29

derit auxilium, consilium, aut fauorē.
An noluerit veniam petere, vel pacem
inire cum ijs quos offendit, vel pro in-
iuria illata non sufficienter satisfacere-
rit.

An noluerit condonare iniuriam ab
alijs illatam.

An ex odio omiserit alloqui, vel salu-
tare aliquem, vel sine odio quidem,
sed cum proximi scandalo.

An in rebus aduersis, & infortunijs
optauerit mortem, aut ex furore & ira
seipsum verberauerit, vel male dixe-
rit, vel diabolo tradiderit.

An maledixerit alijs, tam viuis quam
defunctis, & qua intentione.

An seminauerit zizania, excitando
discordias & inimicitias inter alios,
& quod malum inde secutum sit.

An ex odio vel inuidia, immoderata
tristitia affectus fuerit de prosperitate
aliorum, tam temporali, quam spiri-
tuali, & an gauisus fuerit de aliquo
malo vel damno notabili aliorum.

An ex ira offenderit alios verbis iniu-
riosis & contumeliosis.

An alijs sit adulatus, laudando eos in
re, quæ erat peccatum.

An malo suo exemplo vel cōsilio, vel
laudando mala, & detestando bona,

B 4 causam

30 DE SACRAMENTO

causam dederit, vt aliquis bonū opus, quod faciebat, omitteret, vel incitauerit ad committendum aliquod peccatum, aut ad perseuerandum in illo, retrahendo eum à pœnitentia.

An correxerit eos, qui in sua præsentia peccarunt, aut Deum blasphemarunt?

An omiserit admonere aliquē de peccato, probabiliter sciens, sua admonitione emendandum?

An hospitio exceperit extorres & homicidas, vel cōsilio, fauore, alijs sūe modis illis subuenerit?

An mali aliquid dixerit de proximo, patefaciendo aliquem occultum eius defectum, cum infamia vel damno illius?

An verberauerit iniuriosè personam Ecclesiasticam vel religiosam, vt sit excommunicatus?

CIRCA VI. ET IX. PRAE-
ceptum.

Non fornicaberis, & non concupisces uxorem proximi tui.

AN habuerit cogitationes inhonestas & immundas, in ijsque hæserit, & voluntariè fuerit oblectatus.

AN

POENITENTIAE. 35

An animo deliberato desiderauerit peccare cum aliqua vel aliquo: quod peccatum eiusdem speciei est, cuius est opus ipsum.

An animo libidinoso aspexerit foeminas, vel adulescentes.

An vsus sit verbis lasciuus & inhonestis cum intentione peccandi, vel prouocandi alios ad peccatum, & an libenter & cum voluptate audiuerit huiusmodi colloquia.

An actu peccauerit cum foemina, idq; cum virgine, vel coniugata: an cum consanguineis vel affinibus.

An commiserit peccatum cōtra naturam cum aliqua persona.

An peccauerit cum personis Deo consecratis vel per ordinem vel per votū, aut an qui peccat habuerit ordines sacros, vel votum castitatis.

An inhonestè attigerit bestias, vel aliud peccatum cum ijs commiserit.

An in se ipsum peccauerit peccato molitiei, & num eo tempore cogitarit de aliqua persona cum intentione peccandi cum illa, nam tali casu sunt duo peccata mortalia.

An impudicè attigerit foeminas vel adulescentes, aut permiserit se tangi ab alijs. Et de amplexibus osculis, &c.

An animo peccandi, miserit nuncia, literas vel munera, aut mediator fuerit in inducendis alijs ad peccandum, vel de malis, consilijs, auxilijs, &c.

An adierit vel transierit locum aliquē cum mala intentione aspiciendi foeminas, & se oblectandi, vel de periculis peccandi, quibus se exposuit, & de occasionibus peccandi, quas non euitavit.

An pollutus fuerit in somno vel vigilia, an causam aliquam pollutioni dederit, vel postea in ea voluntariam senserit delectationem.

An amore carnali affectus fuerit ad aliquam personam sequendo eam animo peccandi, & quanto tempore in eo perseuerarit, & num propter ipsum persona illa notata fuerit de aliqua infamia, de quē varijs actibus & peccatis, quæ accidunt ijs, qui tali modo se amant.

QVI sunt coniugati se exanimabunt in particulari, an mente, cogitando de alijs mulieribus, vel intentione, non habendo pro fine prolem, sed delectationem carnalem, vel etiam actibus, alijsq; modis extraordinarijs aliquod peccatum commiserint contra usum & finem matrimonij.

An

An legerit libros vel historias impudicas & inhonestas cum voluptate carnali, vel cum periculo habendi illam.

CIRCA SEPTIMUM ET
X. Præceptum.

*Non furtum facies. Non concupisces
rem proximi tui.*

AN rem alienam sustulerit per fraudem, vel rapinam, explicando quantitatem furti, & in specie, an sustulerit rem sacram, vel de loco sacro.

An rem alienam retineat sine voluntate Domini, & non restituat statim, cum possit.

An, cum non sit soluendo suis creditoribus, hi inde damnum aliquod passi sint.

An inuenta re aliqua, eam abstulerit animo retinendi pro se. Idem censendum est, de rebus quæ ad manus eius venerunt, si eas non restituat suis dominis, sciendo esse alienas.

An emendo vel vendendo fraudem fecerit, aut in mercatura aut in pretio, aut in pondere & mensura.

B 6 An

An emerit ab ijs, qui potestatem vendendi non habent, vt à seruis & filijs familias.

An emerit res quas sciebat vel dubitabat esse furto sublatas, & sciendo, aliquid de huiusmodi rebus consumpsit.

An habuerit voluntatem determinatam accipiendi, si posset, vel retinendi rem alienam, vel etiam, an habuerit animum deliberatū acquirendi & congerendi opes, vt dicitur, per fas & nefas.

An commiserit aliquam vsuram, vel fecerit aliquem contractum vsurarium, vel societatem iniustam in mercatura.

An accepta solutione vel salario ad gerendum officium, vel opus peragendum, non bene & fideliter illud gesserit.

An ministros suos vel operarios fraudauerit mercede sua, aut cum damno ipsorum distulerit solutionem.

An litem mouerit contra iustitiam, vel in lite iusta vsus sit fraude aliqua & deceptioe ad vincendum.

An ludis vetitis vsus sit, an per fraudē in ludo aliquid lucratus sit, vel luserit cum ijs, qui non possunt res suas alienare,

POENITENTIAE. 35

alienare, vt cum filijs familias, &c.

An defraudauerit gabellas iustas.

An simoniam aliquam commiserit, quocunque modo.

An Ecclesiam priuauerit decimis & alijs quæ ei debebat.

An per media illicita vel malas informationes obtinuerit rem aliquã, quæ nullo iure ei obueniebat, vel an alios impediuerit iniuste, quo minus bonum aliquod vel lucrum cõsequerentur.

An auxilium vel consilium dederit, vel alio quocunque modo participauerit cum raptoribus rei alienæ, vel cum possit & deberet, non manifestauit, nec impediuit latrocinium.

CIRCA VIII. PRAE-
ceptum.

Non loqueris falsum testimonium.

AN falsum testimonium dederit in iudicio vel extra, vel alios ad illud induxerit.

An mentitus sit cum præiudicio, & damno notabili proximi.

An famæ alicuius detraxerit, vel falso imponendo aliquod crimen, vel nimium aliorum vitia exaggerando.

B 7 An

An in re graui murmurauerit de vita aliorum, maximè hominum honoratorum, vt sunt Prælati, religiosi, & honestæ fœminæ.

An aures facile præbuerit detrahentibus & murmurantibus de proximo.

An manifestarit alicui peccatum aliorum occultum & graue, vnde secuta est infamia.

An secretum sibi commissum reuelarit, vel an reuelarit, quod in secreto vidit vel audiuit.

An aliorum literas aperuerit, malo fine.

An temerarium aliquod iudicium habuerit de factis vel dictis proximi, interpretando in deteriorem partem, quod poterat accipi in bonam, & condemnando eum in corde suo de peccato mortali.

An animo obligandi se, aliquid alteri promiserit, & postea sine causa legitima promissionem non seruauerit: quod est peccatum mortale, quando res que promittitur, est alicuius momenti, aut propter defectum promissionis consequitur aliquod damnum proximi.

De peccato superbiæ.

AN iudicauerit se bona quæ habet, corporis, animi & fortunæ, non habere à Deo, sed à se, & sua industria, aut si quidem iudicat se illa habere à

Deo, sed tamen præsumit se proprijs meritis sine diuina gratia accepisse, non dando per omnia gloriam Deo.

An vanè existimauerit se habere virtutem, quam non habet, vel se esse qui non est, vel plus esse, quam est, contemnendo alios tanquã sibi inferiores.

An gloriatus sit in re aliqua, quæ sit peccatum mortale, vt quod se vindicauerit, vel aliud peccatum patrarit.

An, vt magnifieret, iactauerit se de aliquo bono, vel de aliquo malo à se perpetrato, id quæ (siue verum sit, siue falsum) cum iniuria Dei vel proximi.

An fuerit ambitiosus, inordinatè desiderando honores & dignitates, & idcirco quædam fecerit, quæ nõ debebat.

An, ne parui fieret ab alijs, fecerit aliquid quod non debebat, cum scãdalo proximi, aut omiserit facere quod debebat, vt, corrigere vel reprehendere alios, conuersari cum bonis, confiteri, aliaq; opera Christiana exercere.

An pertinaciter veritatẽ impugnauerit, vel ne se humiliaret, aut videretur victus, manserit obstinatus in defendendis contra conscientiam erroribus manifestis.

An per arrogantiam alios contempserit, faciendo aliquid in eorum dedecus & contemptum, An

38 DE SACRAMENTO

An ex fastu & superbia nimios sump-
tus fecerit in vestiendis famulis, & in
alijs vanitatibus suo statui non con-
uenientibus.

DE ALIIS PECCATIS

*Mortalibus nihil hic dicetur, eo quod
satis de ijs dictum est in De-
calogo.*

PRæter hæc omnia, qui habent ali-
quod officium, gradum, vel Exerci-
tium particulare, se examinabunt de
defectibus & peccatis, quæ in tali sta-
tu vel exercitio singulatim possunt cõ-
tingere, secundum obligationem quã
quisque in ijs habet.

MODI QUIBVS HOMO

*participat de peccatis alienis his
versibus continentur.*

*Consulo, precipio, consentio, prouoco, laudo
Non retego culpam, non punio, non repre-
hendo,*

*Participo, protego que, meum in caput ista
redundant.*

*Hoc est, An malum consilium dede-
rit, vel auctor fuerit alteri, vt malum
committeret.*

AN

POENITENTIAE. 39

An præceperit, vel coëgerit aliquem
committere aliquod peccatum.

An consenserit peccatis aliorum, eaq;
approbarit.

An prouocauerit alios ad peccan-
dum.

An adulando ijs qui male agunt, vel
laudando ipsa opera mala, autor fu-
erit alijs peccandi.

An, cum posset & deberet, non mani-
festarit aliorum peccata ijs, quorum
officium erat ea corrigere.

An puniendo, vel remouendo occa-
sionem, vt debebat, non impediuerit
aliquod peccatum.

An omiserit reprehendere vel admo-
nere peccantes cum deberet & posset
facere.

An fuerit socius, vel quocunque mo-
do particeps fuerit peccati aliorum.

An hospitio receperit, fauerit, vel de-
fenderit homines male agentes.

DE TERTIA PARTE

*Pœnitentiæ, qua est, Sa-
tisfactio.*

TERTIA pars pœnitentiæ est SA-
TISFACTIO, quæ non est aliud
quam integra solutio, vel recompen-
satio

40 DE SACRAMENTO

latio illius quod homo debet pro peccatis commissis. Duo enim mala secū affert peccatum. Vnum est macula vel culpa, alterum est Pœna.

In confessione virtute sanguinis Christi, qui operatur in hoc Sacramento, purgamur à macula, & remittitur culpa, & consequenter liberamur à pœna æterna, quæ culpæ mortali debebatur. Verum quia non semper contingit, vt remissa culpa, etiam remittatur tota pœna temporalis, sed tantum æterna, opus est satisfactione, quæ nisi fiat in hac vita, necessario facienda est in altera, pœnis Purgatorij sustinendis, quæ, teste S. Augustino, tã magnæ sunt, vt excedant omnia tormenta, quæ sancti martyres passi sunt in hac vita.

Omnes autem satisfactiones reducuntur ad tria genera, vt ad ieiuniū, aliasque asperitates corporales, eleemozynam & orationē, quæ respondent tribus hominis bonis, animæ, corporis & fortunæ. Vnde fit, vt homo tribus illis virtutib. Deo offerat perfectū aliquod sacrificium sui ipsius, omniumq; rerū suarum. Nā per eleemozynam offert bona externa, per ieiunium offert sacrificiū de propria carne, per orationē verò offert suum spiritum & mentem Deo.

Sunt

Sunt quoq; tres hi satisfactionis modi
 conuenientissimi ad extirpandū tres
 principales radices omniū peccatorū,
 quę sunt, Concupiscentia carnis, cōtra
 quam est Ieiunium, concupiscentia o-
 culorū, cui opponitur eleemozyna, &
 superbia vitæ, cui opponitur Oratio.
 Rursum, vti tres sunt quos peccato of-
 fendimus, nempe, Deus, proximus, &
 nos ipsi, sic oratio seruit ad placandū
 Deū, eleemozyna ad satisfaciendū pro-
 ximo, ieiuniū ad castigandū nos ipsos.
 Et quamuis hæc satisfactio fieri possit
 duobus modis, Primo, quando homo
 sponte & ex propria deuotione aliq;
 ex his tribus operib. exercet, Secundo,
 quando impositū est idē opus à sacer-
 dote in confessione. Vt rouis. n. modo
 possumus satisfacere pro peccatis cō-
 missis: tamē multo maior & vtilior est
 satisfactio, quę fit ex obediētia Cōfes-
 sarij ratione virtutis sacramēti, cuius est
 pars, quā quæ fit ex propria deuotiōe.
 Ad hæc opera bona sponte facta, si ho-
 mo se inuenit in statu peccati, nec tūc,
 nec postea, cum in gratiam redit, pro-
 sunt ad satisfaciendum Deo: quæ vero
 sunt imposita à Cōfessario etsi nō pro-
 sunt, quando ea facit in peccato, tamē
 profunt postea, cum redit in gratiā, &
 ser.

seruiunt pro satisfactione debita peccatis.

Et quamuis etiam homo pro eadem poena suis peccatis debita possit Deo satisfacere per gratias & indulgentias Ecclesiæ, quando eo fine accipiuntur, quemadmodum oportet, hoc est, in statu gratiæ: tamē nō debet iccirco inmittere opera satisfactoria affligendo carnem ieiunijs, dando elemozy-nas, & occupando se in sanctis exercitijs orationum & meditationum.

Denique omnia flagella & tribulationes, quas Deus immittit nobis, vt sunt morbi, paupertas, persecutiones, aliæque huius vitæ calamitates, si homo eas de manu Domini suscipit cum humilitate & patientia, plurimum profunt, non solum ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus, quæ debentur nostris peccatis, verum etiam ad augmentum gratiæ, & meritum vitæ æternæ.

F I N I S.

TRACTATUS
TVS BREVIS DE
CONFessione, PRO
ijs, qui frequentius con-
fitentur.

DE UTILITATE FRE-
quentis Confessionis.



QVANTA sit necessitas Sacramenti Confessionis, quantaque com-
moda fidelium animis afferat eius frequentatio, multo plus quisque
experitur in seipso, quam sermone explicari aut scripto cōprehendi possit.
Vnde Christus Redēptor noster probè intelligens quantopere salubri hac me-
dicina indigeamus, voluit in fine vi-
tæ sub figura lotionis pedum Aposto-
licorum, loco testamenti eam relin-
quere, & exemplo suo ad eius usum
exhortari, non modo pro remedio
peccatorum mortalium, sed etiam
pro venialium. Hoc enim significare
voluit

voluit ipse Dominus, quādo dixit. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.

Nam cum ea conditio sit fragilis naturæ nostræ, vt diu immunis esse non possit à macula saltem veniali, nō sufficit, ablutam esse hoc sacramento animam à sordibus peccati mortalis, sed insuper necesse est, vt eam conserues omnino mundam, & crebrius abluas pedes affectuum à puluere peccatorū venialium. Et quamuis sola autoritas tanti Magistri, institutoris huius Sacramenti, nobis satis esse debeat, vt illud frequentemus, tamen visum est aliquot, de multis huius Sacramenti, utilitates describere, vt eo libentius & auidius tam singulare beneficium complectamur, & in eo proficiamus. **PRIMA** igitur est, quod qui sæpe cōfitemur, ac proinde sæpe examinat conscientiam suā, magis securus est, propter memoriam recentem peccatorū, se integram & legitimam facturum confessionem. Vnde & certior est sibi remissa esse peccata, & se diuinā gratiam affecutum esse.

II. Qui sæpè confitentur, partim quia paulò ante confessi suat, vel paulò post iterum confitebuntur, partim, quia

quia continenter sibi proponunt, se
piè & religiosè victuros, nec DEVM
offensuros, illudque propositum i-
dentidem renouant, redduntur cau-
tiores in euitandis peccatis, & faci-
lius resurgunt, si vero aliquando la-
bantur, fortius pugnant & tentatio-
nibus resistunt.

III. Frequentatio huius Sacramenti,
animū hominis magna luce illustrat,
nō modo ad cognoscenda peccata sua
quantumcunq; parua; Nam in panno
mundo facilius vidētur parue macule
quam in immundo & sordido: verum
etiam ad cognoscendas eorū radices;
cuiusmodi sunt malæ inclinationes &
affectiones. Vnde veluti hoc facilius
sanatur infirmitas, quo melius cognos-
citur, sic isti cognoscendo seipsos, fa-
cilius cauent omnes peccatorum oc-
casiones, & incolumes seipsos conser-
uant in Spiritu.

IV. Quo quis sæpius confitetur, hoc
maiorē vi sacramenti cōsequitur gra-
tiam, & quo plus crescit in gratia, hoc
magis se disponit, & capaciorē reddit
ad accipiendam amphorem gratiā in
Confessionib. sequentib. Quare sæpè
contingit, vt peccator Confessionem
frequentans, crebris actib. pœnitentię
eiusq;

couſq; in hac virtute proficiat, vt poſt multas confeſſiones (vt bene obſerua- uit S. Thomas) cum maiore gratia & charitate reſurgat, quam habuerit, an- tequam in peccatum laberetur.

V. Nam beneficio Confeſſionis non ſolum aſſequimur remiſſionem pec- catorum; verum etiam magna ex par- te impetramus relaxationem poena- rum dictis peccatis debitarum: vnde partim virtute Sacramenti, partim propter poenam ſenſibilem, doloris & pudoris, quem in confeſſione peccato- rum experimur, poterit accidere, vt quiſpiam toties confiteatur, & abſo- lutionem ſacramentalem recipiat, vt tandem (vt dicit Thomas in 4. ſenten- tiarum) nulla ei poena ſuperſit tole- tanda in Purgatorio.

VI. Frequentatio huius Sacramenti magnum adiumentum & lumen af- fert ijs, qui deliberant de eligendo vi- tæ ſtatu, in quo facilius ſaluari poſſint atque id partim propter gratiam quæ ſæpius eis communicatur, qua effecti ſunt diuinarum inſpirationum ma- gis capaces, partim propter lumen, quo illustratur intellectus ad rectius cognoscendam Dei voluntatē, & ma- ius ſuum bonum, partim etiam pro-
pter

pter fortitudinem spiritualement voluntati communicatam, qua serio acceptent, quod, ceu melius bonum, à Deo inspiratur, partim deniq; propter crebra consilia & institutiones Confessarij, qui loco Dei eum gubernant.

VII. Qui crebro confitetur, nec saepe, nec grauius solet tentari à Dæmone. Nam vt aranei telas suas non texunt in ædibus diuitum, quod saepè dissoluantur in ijs, qui cōtinenter eas expurgant & euerrunt, sic in eorum mentibus, quæ confessionibus crebris mundantur, dæmon non potest, vti vellet, tentationum telam ordiri. Imo quia animaduertit saepe fraudes suas & insidias pate fieri, nec posse se sine iactura & confusione sua à pugna recedere, etiam fugit ab illis. Nā vt dicit S. Hieronymus, potestas & virtus proditoris concidit patefacta prodicione, latrones infernales more aliorum latronum scientes se deprehensos, fugiunt.

VIII, Quo rarius quis confitetur, hoc plus in eo deficit conscientiae remorsus, & paulatim fit insensibilis, sic vt peccata etiam graua & mortalia, illi videantur parua, & ideo facilè ea committit. Contra qui saepè confitetur, tantam assequitur puritatem & teneri-

C

tudinem

48 DE SACRAMENTO

tudinem conscientiae ut etiam sentiat remorsum quendam in culpis leuibus, eo quod abhorreat à lapsibus grauioribus, nec facile in eos recidat.

IX. Quemadmodum qui raro confitentur, eo quod ordinariè sint in statu peccati, nunquam inueniunt vel pacem, vel quietem, etiam si haberent omnes consolationes mundi Sic e contra qui frequentatione huius sacramenti conseruant Dei gratiã, etiam si multas habeant tribulationes in hac vita, tamen propter testimoniũ bonæ conscientiae summa pace, tranquillitate, que mentis fruuntur.

X. Et sicut ij qui sæpe consulunt Medicum eiusque præceptis parent, uiuunt diu sani, sic qui sæpius infirmitates suæ conscientiae aperiunt medico spirituali, eiusque consilia & remedia sequuntur, facilius conseruant sanitatem gratiæ diuinæ, & securius consequuntur salutem æternam.

XI. Cum videamus horam mortis esse incertissimã, propter frequentes, eosque subitos casus, qui quotidie hominibus accidunt, maiore securitate conscientiae, & certitudine suæ salutis è uiuis excedunt, qui sæpe solent
con-

confiteri, eo quod semper parati sint ad mortem, quam illi qui cum multo tempore à confessione abstinuerint, ex improviso è vita tolluntur, aut non habent tempus confitendi, aut si confitentur, ignorant quid requirat Confessio, itaque eam faciunt cum exigua præparatione, & sæpius mera necessitate quam bona voluntate. Vnde alicubi dicit **AUGUSTINVS**, *Hom. 41* Si quis existens in extrema aegritudine, expetiuerit Sacramentum Pœnitentiæ & receperit, sicque reconciliatus ex hac vita discesserit, fateor, non negamus ei quod petit, sed de eius salute securi non sumus. Qui verò dum sanus est, se reconciliat, & pœnitentiã agit, ac postea bene viuit, securus ex hac vita discedit: qui vero in fine vitæ se reconciliat, & pœnitentiam agit, si hinc discedit securus, ego non sum securus: nec ideo dico, quod damnabitur, sed nec dico, quod saluabitur, non scio, non præsumo, non promitto.

XII. Deniq; omnium bonorũ & priuilegiorum, quibus (vt scribit S. Bernardus) fruuntur illi, qui relicto mundo in religionem aliquam se abdiderunt, modo quodã suo participes sunt

50 DE SACRAMENTO

etiam ij, qui in sæculo manētes, Sacra-
menta sancta frequentant, & vitam
spiritualem agunt. Nam homo, etiam
in hoc statu viuit purius, cadit rarius,
resurgit velocius, ambulat cautius, &
sæpè à Deo consolatus, quiescit secu-
rius, purgatur celerius, moritur confi-
dentius, & remuneratur copiosius.

ITAQVE ad consolationem piorum
& deuotorum, qui vitam agere desi-
derant immaculatam, hunc breuem
tractatulum confeci, quasi Speculum
Spirituale, quo sæpius inspecto, possint
facilius animaduertere suos defectus
etiam minimos, & deinde eos per Cō-
fessionem tollere & emendare. Nam
homines spirituales, qui dant operam
vitæ puritati, & ad Christianam per-
fectionem aspirant, debent omni dili-
gentia cauere non solum peccata mor-
talia, à quibus per gratiam Dei solent
abstinere, verum etiam venialia. De-
bent quoque esse solliciti in reprimen-
dis animi passionibus, reformandis af-
fectibus, & denique remouendis, quo-
ad fieri potest, omnibus imperfectio-
nibus.

QVI ergo solent frequenter confite-
ri, in quatuor rebus sigillatim debent
diligentiam adhibere. Primo in Exa-

mine

POENITENTIAE. 51
mine conscientiaē suæ. Secundo in Do-
lore peccatorum. Tertia in ipsa Con-
fessione. Et quarto in Proposito & me-
dijs suæ emendationis.

DE EXAMINE CON-
scientia.

QVANTVM ad Primum, hoc est,
ad Examen Conscientiaē attinet.
Magnopere confert ad profectum Spi-
ritualem, si quis quotidie, antequam
cubitum eat, se parum colligat, & pri-
mo gratias agat Deo pro beneficijs ac-
ceptis, maximo eo die: tum oret, & gra-
tiam & lumen impertiat suos defectus
& peccata cognoscendi; deinde se ex-
aminet discurrendo per totius diei a-
ctiōnes, an cogitatioē, verbo, vel opere
Deum offenderit aut proximum. Et si
in aliqua re se deprehendit culpabilē,
cum dolore propositum in animo cō-
cipiat emendandi se, confitendi, & cū
diuina Maiestate in gratiam redeundi.
Præterea quando Confessio facienda
est, tempus aliquod in examinanda
conscientia ponendum est, secundum
quod plures paucioresūe dies à prox-
ima confessione intercesserunt, Itaque
maiore cum diligentia percurrat Exa-
men hic subiectum, colligendo omnia

52 DE SACRAMENTO
peccata & defectus quos dicto tempo-
re incurrerit. Ad quod non parum iu-
uat pro ijs qui memoriam magnam
nō habent, quotidie in Examine quod
vespere faciunt, annotare defectus oc-
currentes, vt quando confitendum
est, facilius eorum possint meminisse,
& dum paulo ante ea inspexerunt ma-
iori pace patefacere.

MODVS EXAMINAN- di Conscientiam.

CIRCA COGITATIONES & actus interiores, & primo erga Deum.

AN in rebus fidei dubius fuerit vel
curiosus, an fidē habuerit somnijs,
augurijs, alijsūe superstitionibus.
An in alio spem suā collocauerit, quā
in Deo, an in suis necessitatibus despe-
rauerit de auxilio diuino non haben-
do in eo fiduciam, quam habere con-
uenit.

De exigua memoria Dei & beneficio-
rum eius, & an plus affectus fuerit ad
diuitias, filios, aliaque bona tempora-
lia

POENITENTIAE. 53
lia, quam ad diuinam suam Maie-
stem.

ERGA PROXIMVM.

AN facile de alijs male suspicatus sit,
& temerè iudicauerit.

An compassus sit proximo in aduersi-
tibus, vel necessitatibus spiritualib.
& corporalibus orando pro illis.

An animo alienus fuerit ab aliquo,
aut optauerit eius mortem, aliudue
damnum, & an illatas iniurias condo-
nauerit.

An laborauerit inuidia, contristando
de bonis alterius, vel gaudento de
malis.

An alijs se prætulerit, aut alios con-
tempserit tanquam sibi inferiores.

An inordinatum aliquem affectum,
vel amorem sensualem vel carnalem
habuerit erga aliquem.

An magni se fecerit propter bona a-
liqua interna vel externa, quæ putat
se habere, vel vanam aliquam de re-
bus suis habuerit gloriam.

An occupauerit se cogitationibus o-
tiosis, vanis, ambitiosis, delectando
se in illis, & an inordinatè appetiuerit
honores, dignitates, &c.

C 4

Circa

54 DE SACRAMENTO
Circa Castitatē. An passus sit aliquam
tentationem carnis vel cogitationes
immundas, quas nō statim repulerit.

CIRCA VERBA, ET PRI-
mo erga Deum.

AN mane & vesperi consuetas ora-
tiones habuerit commendando se
Deo & gratias agendo pro beneficijs
acceptis, & orando pro illis, pro qui-
bus debet.

An, qui sunt obligati, recitarint offi-
cium diuinum, vel alias orationes cū
debita deuotione & attentione.

An assumpserit nomen Dei vel San-
ctorum in vanum, & de rebus sacris
locutus sit, vt oportet.

An sine reuerentia iurauerit, vel sine
veritate, aut necessitate, & quam in-
tentionem habuerit in iurando.

An emisericit aliquod votum, quod nō
obseruauerit quemadmodum oportet.

An in prosperis rebus debitas gratias
Deo egerit, & an in aduersus questus
sit de eo, eiusq; prouidentia.

ERGA PROXIMUM.

AN obmurmurauerit superiori, an
famæ alicuius detraxerit, vel citra
veri-

veritatem, aut intentione non bona
mali aliquid de alio dixerit.

Similiter an de Prelatis & Principibus
locutus sit, vt decet, an verò eis male-
dixerit.

An facile aures præbuerit murmuran-
tibus, vel loquentibus de rebus illicitis.

An omiserit corrigere proximum, cū
opus erat, & quando obligabatur, &
facere poterat.

An occulta peccata aliorum patefecerit,
quæ vel ipse sciuerat, vel de quibus
habebat suspicionem.

An mendacium dixerit, aut plus æquo
res exaggerauerit, aut simulatè locu-
tus fuerit.

An verba iniuriosa vsurpauerit, aut
irriserit & contempserit alios, vel ma-
ledixerit, vel malum imprecatus fue-
rit proximis, tam viu's quā defunctis.

An paterfamilias iniuria affecerit v-
xorem, famulos, an maledixerit filiis,
vel aliquod malum eis imprecatus sit,
an reprehenderit & admonuerit eos
quando oportebat, num operam de-
derit vt scirent, quæ necesse est homi-
nem Christianum scire.

An adulatus sit alicui, vel malū confi-
lium dederit.

C 5 An

An alios retraxerit ab aliquo bono opere, vel causa fuerit alicuius dissolutionis aut peccati.

An sermonem habuerit de rebus impudicis & lasciuis, cum mala ædificatione, & scandalo proximi.

ERGA SEIPSV M.

AN libenter de rebus suis locutus sit amplificando eas & desiderando, vt ab alijs magni fiant & laudentur.

CIRCA OPERA, ET PRIMUM erga Deum.

AN in Confessione & Communionem defectum aliquem commiserit, & maximè de negligentia examinandi conscientiam, dolendi de peccatis, & renouandi propositum emendationis.

An omiserit facere poenitentiam, & exequi remedia data à Confessario.

An in festis peculiari cura & deuotione cultui diuino vacauerit, audiendo Missam & concionem, & quem fructum inde retulerit.

An ratione sanitatis procurandæ, aliamue ob causam vsus sit rebus superstitiosis.

ERGA PROXIMVM.

An

AN parentibus suis, alijsue Maioribus obediuerit, & honore debito eos affecerit.

An suis superioribus Ecclesiasticis & sæcularibus Principibus obtemperauerit, in ijs quæ ab illis iustè imperata sunt.

An qui gubernant familiam, malè se habuerint erga domesticos: & an neglexerint castigare filios, aliosque suæ curæ commissos, in rebus spectantibus ad Dei offensionem, & animarum condemnationem.

An iram vel impatientiam aliquam ostenderit erga proximum, vel malo aliquo eum affecerit.

An acceperit vel usurpauerit res alienas, vel mercedem alijs debitam retinuerit.

An in emptione vel venditione, alijsq; contractibus vsus fuerit aliqua fraude vel aliquod damnum proximo in bonis temporalibus intulerit.

An eleemosinā fecerit, & pauperibus secundum facultates suas subuenerit.

An propter timorem humanum, aliove respectu bonum aliquod omiserit; vt, versari cum pijs & bonis, & exercere opera quædam pia ad gloriam Dei, vel ad utilitatem suam & proximorū.

58 DE SACRAMENTO
ERGA SEIPSUM.

AN, vt magni fieret, superfluos sum-
tus fecerit, in vestitu, victu, alijsque
vanitatibus suo statui non conuenien-
tibus.

An aspectu, vel tactu alioſue modo oc-
caſionem dederit alicui tentationi,
aut peccatum aliquod admiserit con-
tra honeſtatem Chriſtianam.

An, qui ſunt Coniugati, intentione,
vel tactu & alijs modis illicitis pecca-
tum aliquod admiserint contra finem
& honeſtatem Matrimonij.

CIRCA GVLAM, An in eden-
do & bibendo exceſſerit, aut nimio af-
fectu comederit, deſiderando cibos
exquiſitos, & nimia ſollicitudine, pro-
curando plus ſatiſfacere in hac parte
ſenſui, quam neceſſitati.

An per intemperantiam in cibo & po-
tu cauſam dederit alicui illuſioni no-
cturnæ, & num in ea habuerit aliquam
complacentiam.

De tempore male collocato vel con-
ſumpto inutiliter in colloquijs otio-
ſis, vel ludis illicitis, & alijs augis parū
conuenientibus.

An cōuerſatus ſit cum hominibus diſ-
ſolutis, qui eum ad malum incitarint,
aut

aut se occasione vel periculo peccandi temerè exposuerit.

Præter hæc omnia, quicumq; habent officium, dignitatem, vel exercitium particulare, examinabunt se de defectibus, qui in dictis statibus vel exercitijs singulariter occurrere solent secundum vniuscuiusque obligationem.

DE DOLORE PECCATORUM.

Post factum Examen, reuocando in memoriam peccata, quæ conscientia tibi suggerit; Primo confusionem capies ex teipso, considerando quam parum te emendes & proficias, postquam toties redeundo ad confessionem, nunquam deest confitendi materia, imo semper te iisdem defectibus obnoxium deprehendis.

Vnde causam habes magnam vere timendi, te non tam ex dolore & efficaci proposito, quam ex consuetudine redire ad Confessionem. Quare cum parui facies emendationem, periculū est, ne Deus suam gratiam subtrahat, tibiq; dicatur. *Quia tepidus es, incipiam Apoc. 3. te euomere.*

DEINDE oculos mentis tuæ attolles ad Christum, considerando, quod, cū

60 DE SACRAMENTO

fit ipsa sanctitas & puritas, magno pe-
re illi omnia peccata displiceant, quā-
tumuis parua. Vnde vide, quid egerit,
& quanta passus sit, vt te liberaret ab
illis, & tantis beneficijs ad se amandū
& obseruandum sua diuina præcepta
attraheret. Tum reflectendo oculos
ad te ipsum, cōsidera quantum debeas
benignissimo tuo creatori & redem-
ptori, & vide quatenus officio suo sa-
tisfeceris dolendo ex animo de tanta
tua malitia & ingratitude erga ta-
lem Patrem & Dominum, qui cum te
tantopere amauerit, tu nil aliud cogi-
tas, quam eum offendere.

Postremo cōuerter te iterum ad Chri-
stum, & considerando, quomodo ille
sit noster Mediator, & pro tuis pecca-
tis satisfecerit, ab ipso per intercessio-
nem beatiss. matris suæ & omnium
Sanctorum petes humiliter veniam,
& simul eum rogabis, vt dignetur re-
formare tuos affectus & prauas incli-
nationes, vt in posterum nihil habeas,
quō eum offendas. Et deniq; tempe-
rando dolorem tuorum peccatorum,
cum spe veniæ, firmum propositum
facies emendandi vitam tuam, & gra-
tiam atq; auxilium ad id præstandū à
sua diuina Maiestate postulabis,

DE

POENITENTIAE. 61
DE CONFESSIONE.

FACTURUS autem Confessionem, considera, quoties vadis ad accipiendum hoc Sacramentum, toties ire ad lauandum te sanguine Christi, cuius virtus operatur in Sacramentis. Propterea vide quanta reuerentia, & gratiarum actione conferre te debeas ad accipiendam medicinam, quæ tanti constitit ei, qui eam fecit.

Deinde in ipsa Confessione tria potissimum obseruabis.

Primo facies confessionem integram omnium peccatorum, quorum recordari poteris, & quæ conscientiam maximè urgent, explicando simul eorum speciem, numerum, & circumstantias necessarias, quantum fieri potest.

SECUNDO claritatem & perspicuitatem in confitendo amabis, quæ oriatur ex viuo desiderio omnia accuratè manifestandi, vt à Patre Spirituali eo melius possis adiuuari & dirigi, nam, vt dicit Scriptura, *Qui abscondit scelera non dirigetur.* **Prou. 28.** Et ideo sincere confiteri debes peccata tua, non celando, nec excusando, nec extenuando rem vllam, non vtendo verbis super-

62 DE SACRAMENTO

superfluis nec recēsendo historias quę
nō faciunt ad propositum, multo mi-
nus autem aperiendo peccata aliorū,
sed accusando tantum teipsum.

TERCIO accedere debes ad Confes-
sionem, paratus non solum ad susci-
piendam pænitentiam, & implendam
satisfactionem, quæ à Sacerdote im-
ponitur: verumetiam ad accipienda
omnia consilia & remedia, quæ pro
tuis peccatis, & pro maiori bono tuo
Spirituali ab eodē tibi dabuntur. Fru-
stra enim infirmus suos morbos ape-
ririt medico: si postea nollet accepta-
re remedia, nec exequi ordinem & le-
ges, ab illo præscriptas.

DE PROPOSITO ET ME-
dijs Emendationis.

FACTA confessione, tria alia obseruan-
da sunt. Primum est. Statim exequi
pœnitentiam à Sacerdote iniunctam,
renouando propositum abstinendi à
peccatis confessis, & omnibus alijs,
ac cauendi occasiones dictorum pec-
catorum.

Secundum est. Media aliqua arripere,
quæ te ad tui emendationem iuuare
possint, obseruando præcipuè defe-
ctus

Aut eos, ex quibus omnes alij oriri videntur, & contra eos se instruere & armare.

Ex remedijs quæ vsurpari possunt ad extirpandum aliquod vitium vel imperfectionem, alia sunt generalia, alia particularia. Inter generalia primum est. Firmum propositum non committēdi amplius tale peccatum: quod deberes sæpè renouare, maximè manè, & quotiescunque in illud vitium relaberis.

II. Prodest fugere occasiones, quæ ad tale peccatum solent inducere, vt ludos, malas societates, familiaritatem personarum suspectarum, aspectum oculorum, curiositatem audiendi, lo- *Hier. 9.*
quacitatem. Nam scriptum est: Mortē intrare per fenestram.

III. Plurimum iuuat in principio diligenter resistere tentationibus, excutiendo à se scintillam prauæ cogitationis, antequam intret & accendat cor. Quod fieri potest, si subito recurras ad orationem, vel nomines sanctissimum nomen I E S V, vel signes te signo S. Crucis, vel subito ante oculos obijcias imaginē Christi crucifixi pro pœna tuorum peccatorum vulnerati & sanguine manantis.

IV. Mul-

64 DE SACRAMENTO

IV. Multum quoq; iuuat ad conseruandum propositum bonum non offendendi Deum, sæpe audire verbum Dei, bonos libros legere, abstinere à libris vanis & lasciuis. Nam verbum Dei colligit hominis cor, temperat passiones, & voluntatem nostram replet bonis desiderijs.

V. Nec parum prodest versari semper in conspectu Dei, tanquam teste nostrarum actionum.

VI. SI quando homo senserit rebellionem carnis, plurimum prodest asperè & durè tractare corpus tū dormiendo, edendo, bibendo & videndo, tum etiam in alijs rebus quæ illi possent afferre voluptatem. Nam cum caro sit quasi incentiua inordinatarum affectionum, quo debilior erit, hoc debiliores & languidiores quoque erunt affectiones ab ea profectæ.

VII. Bonum quoq; remedium est fugere otium, originem & fomitem omnium vitiorum, efficereq; vt semper aliqua honesta occupatione vel mentis vel corporis sumus distenti, ne locū inueniat Diabolus in anima nostra.

VIII. Magnum etiam adiumentum affert, earum rerum recordatio, quæ timorem incutiunt, vt mortis, iudicij, pænæ

poenæ æternæ peccatoribus præparatæ, vel consideratio beneficiorum Dei & diuinarum promissionum, vt excitemur ad amorē ipsius, & odium omniū quibus possumus offendere diuinam suam bonitatem.

IX. Denique efficacissimum remedium est, Frequens vsus sanctiss. Sacramentorum, Confessionis & Eucharistiæ, quia vt docet Apostolus, principale remedium contra peccatum est diuina gratia, quæ his sacramentis obtinetur, accedit quod instituta sint à Christo D.N vt essent quasi medicinæ cælestes, nō solū ad expianda peccata, verū etiam ad sanandos nostros inordinatos affectus, ad reprimendas passionēs, ad tollendum omnem animi languorem, & denique vt essent certa quædam amoris incentiua, quibus inflammata voluntas nostra facilius resistat, inclinationibus prauis, & vincat omnes tentationes, mundi, carnis, dæmonis.

Præter hæc sunt alia quædam remedia magis particularia & propria cuiusque defectus, qui vsurpari & applicari poterunt secundum consilium Confessarij, & tam hæc, quam illa alia assumi debent cū magnitudine animi,

per-

66 DE SACRAMENTO

perseuerantia , & certa spe victoriæ fundata in auxilio diuino & Christi gratia.

Psal. 36. TERTIVM & postremum ex ijs, quæ homo seruare debet post Confessionem, est, vt omnem diligentiam adhibeat, in offensis quibus Deum hactenus læsit, nouis officiis recompensandis. Scriptum enim est. Non satis esse declinare à malo, sed opus esse facere bene: Procuret quoque vt ex memoria præteritorum malorum, quotidie fiat humilior, & feruentior in bonis operibus, exercendo se non solum in operibus pœnitentiæ & deuotionis, verumetiam peculiarius in operibus caritatis & misericordiæ erga proximum. Nam vti scriptum est. Qui fecerint misericordiam, inuenient quoque misericordiam in conspectu Dei.

MEDITATIO PRO SACRA
Communione.

Oratio preparatoria.

CVM tanta sit dignitas Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini, vt si haberes omnem puritatem Angelorum
lorum

lorum & sanctitatem B. Ioannis Baptistæ, tamen nullo modo dignus esses illud recipere, ideo, vbi deficit humana fragilitas, quoniam Dominus noscitur ita vult & præcipit, recurre ad auxilium diuinæ gratiæ, petesque ab eo magnam famem, & ardens desiderium huius sancti cibi, ac vt profunda humilitate & reuerentia hanc sacram mensam possis accedere, eosque effectus hoc diuinissimum Sacramentum in te operetur, quos operari solet in eorum animis, qui dignè illud recipiunt.

PUNCTA MEDITATIONIS.

I. Imaginaberis te à Christo Domino inuitatum, vt dignus sis in societate Angelorum mensæ suæ assidere, his verbis amore plenissimis. *Veni. Hier. 25. te, comedite panem meum, & bibite vinum, quod misui vobis. Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.*

II. Considera, quis sit ille, quem es sumpturus, nempe Deus tuus factus homo, tu verò creatura abiecta, plena omni malitia & sordib. vadis ad recipiendū tuū Creatorem, infinitā illam
po-

potentiam, summam illam bonitatem & pluritudinem, tu, inquam, homo miser vadis ad recipiendum Deum illum, qui cum te creavit ad imaginem suam, & ex immenso erga te amore formatam & similitudinem tuam assumpsit, ad te venire desiderat, ut tecum habitet, ut te sibi uniat, & in eum quidem modum, ut sis unum cum ipso. Ut si bonus ille Zachæus se foelicem existimabat, quod tantum videre posset Christum, quæ facilitas erit eius animæ, quæ potest, quando vult agere cum suo Deo, ore ad os loqui cum eo, & in pectore suo tanquam hospitio recipere.

III. Verum ex altera parte, si Sanctus Ioannes Baptista in ventre matris sanctificatus, & à Deo electus in Christi præcursores, non se reputavit dignum tangere Christum, aut solvere corrigiam calciamenti eius, quomodo ego immundus peccator audebo eum tangere vel recipere in domum meam.

IV. Si sanctus Petrus Apostolorum Princeps, indignum se iudicabat, ut CHRISTVS in eius esset nauicula, dicens. *Exi à me, quia homo peccator sum*

LUC. 5.

sum Domine. quid dicam ego homo miserabilis, quomodo præsumam ad iungere me illi, & recipere in domum meam.

V. Si ad manducandum panes propositionis necessaria erat tanta puritas & munditia, sicut dicebat Sacerdos Achimelec ad David. *Si mundi sunt pueri, manducent: quid faciam ego immundus peccator. quomodo audebo ore immundo manducare panem angelorum.* 1. Reg. 21

VI. Si ad manducandum agnum Paschalem, qui erat figura huius Sacramenti, necesse erat comedere lactucas agrestes, & panem azimum, renibus succinctis & alijs tot cærimonijs, quarum meminit Scriptura, quomodo audebo ego accedere ad manducandum verum agnum sine macula, filium DEI, sine dolore meorum peccatorum, & antequam videam me liberum à fermento & malitia peccati, maximè, cum agnoscam tam longe me abesse à puritate, quæ requiritur ad accipiendum hoc diuinissimum Sacramentum.

VII. Si Oza sacerdos tantum quod arcam testamenti attigisset, non ea qua debuit

debut reuerentia & puritate, tam seuerè à Deo repentina morte punitus est, quāto iustius mihi timendum est, qui non solum accedo ad tangendam arcam testamenti, sed ad diuinissimū corpus Christi D. N. arcam veram, in quam inclusi sunt omnes thesauri sapientiae Dei.

1. Reg. 6. VIII. Si Bethsamitas Deustam grauius puniuit, occisis 50. milibus hominum, quod tantum curiosè & irreuerenter arcam testamenti nudam aspexissent, quanto magis mihi timendū est in huius diuini sacramenti accessu, quod mihi non solum aspiciendum, sed etiam tangendum & sumendum est,

IX. Deinde conuertendo oculos ad teipsum, considera aliquantulum, quam vitam egeris, quoties maiorem habueris rationem minimi honoris, minimae paleae existimationis humanae, & luti voluptatum carnalium, quā gratiae & amicitiae Dei, gloriae & beatitudinis aeternae. Quod nomen quidem habueris Christiani, sed opera potius fuerint daemones. Fuit enim vita tua similis vitae ministrorum illorum infernalium, qui fingebant quidem se adorare Christum, dicentes, **A V E**
Rex

Rex Iudeorum, sed ex altera parte spuebant in eius faciem, & colaphis eum cædebant.

10. Cum ergo tu sis talis, qua fronte accedes ad sacram illam mensam, audebisq; admittere in domum tuam speculum illud infinite puritatis & munditiæ? quomodo audebis æternū Verbum Incarnatum recipere in hospitium animæ tuæ, quæ hucusq; nō aliud fuit quā stabulū bestiarū & nidus serpētū.

11. Ex alia parte quātumuis agnoscas te ita miserabilem, & omnibus bonis indignum, non debes tamen te subducere ab hac mensa, sed potius maiori cum fiducia ad Deum confugere, considerando Dominum illum, esse eum ipsum qui tanta cum benevolentia te ad suā mensam inuitat; qui nunc eandem doctrinam teneat in cælo, quam nabebat cum nobiscum versaretur in terra, qui eodem amore & desiderio, flagret quo flagrabat saluandi peccatores dum esset in terra. Cum autem nobiscum esset in terra, dixit.

Non opus est medico sanis sed male habentibus Et rursus. *Nō veni vocare iustos sed peccatores.* Mat. 9.

Et in alio loco. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

Vos.

D

Adhæc

Ad hæc tam bonus est hic Dominus, ut nūquam vllum peccatorem vel infirmū, qui ipsum adire vellet, repulerit. Vnde nec repulit à se Magdalena, nec leprosum, nec mulierē, quæ cum tetigit, & à fluxu sanguinis sanata est; imò legim⁹ oēs claudos, cæcos, aliosq; infirmos, conatos se adiūgere ad Christū, cumq; tangere, quod ab eo virtus quædam exiret ad sanandum omnes. 12. Quare ô Deus meus, si ego sum infirmus, necesse habeo ad te verū medicum meum accedere: si sum peccator, debeo quærere eum qui me possit iustificare. si plen⁹ inordinatis passionibus, & pondere peccatorum meorū grauiter oneratus, ad quem recurrere debeo pro refrigerio, nisi ad te qui solus potes & vis me adiuuare? Grauiora sunt peccata mea peccatis Magdalena, magis leprosus sum, quam ille qui te accessit; patior quoq; in anima mea fluxum multo maiorē & periculosiorem quam illa mulier passa sit. Sum quoq; cæcus, quando te, lucem veram nō video. Sum claudus, quādo passibus amoris ad te non ambulo. Sū mutilus & mancus, quando me in operibus bonis non exerceo, & proximos meos, ut oporteret, adiuuo. Atq; hæc oēs necessitates

sitates

fitates & miseriam cogunt me ad te, pro
impetrando remedio & auxilio, recur
rere, cōfissum bonitati tuæ, & clemen
tiæ, quod sicut à te nō repulisti illos, sic
non repelles quoq; me. Dixisti enim *Ioan. 6.*
sanctissimi ore tuo, te quotquot ad te
venerint, non eiecturum foras.

COLLOQUIUM.

Merito olim, dulcissime Domine,
sanctus Propheta quidam, admi
ratus bonitatē & amorem immensum
quo hominem prosequeris, hæc verba
protulit: *Quid est homo, quia magnificas Iob 7.*
eū, aut quid apponis erga eū cor tuū? Quis
enim ego sum, Deus meus, quid feci,
quid merui, vt tu beatissimus, glorio
sissimūq; existens Deus, qui nec opera
mea, nec rebus meis indiges, tanti me
facias, & omnibus modis quæras exal
tare me, & magnificare, cōmunicando
te ipsum, tuasq; res oēs mihi tam libe
raliter? qui tamen aliud non sum, quā
parum pulueris & cineris: & si velim
comparare me, cū Maiestate tuæ Dei
tatis, omnem vidēdi facultatē amittā,
& cognoscam me totum non aliud ef
se, quā nihil. Et nihilominus, ecce nūc
inclinās cælos tuos & dignaris ad me
venire, ad restituēdas animæ meæ rui
nas, & ad lauandū, non aquis maris ru
bri, sed proprio sanguine tuo, sordes


74 DE SACRAMENTO

meas, & ad restringendam famē meā spiritualem, non Manna deserti, sed substantiali & diuina carne tua: Vt si bonus ille Centurio, cuius fidē prætulisti toti Israeli, intelligens te venire ad se, non putauit se dignū intrares sub tectū eius: & tu⁹ sanctus Præcursor, qui prius fuit sanctificatus, quā natus, & quo maior nō fuit inter natos mulierum, cum vidit te venire ad se, abiecit se tanta humilitate ad tuos pedes

Matth. 3. dicens. *Tu venis ad me?* quanto magis ego homo miserabilis, qui in peccatis nat⁹ sum totus, & quot sunt beneficia in me tua, tot sūt meæ ingrattudines & offensæ, quæ pro beneficijs reddidi; ego inquā qui propter scelera mea nō sum dignus oculos leuare in cælū, nec vt terra me amplius sustentet; si enim velles mecum intrare in iudicium, nō sufficerent omnes pænæ huius & alterius vitæ ad puniendam millesimā partem meorum delictorum sed cum tu nihilominus nūc pergās venire ad me, cū tanto amore & benignitate, debeam me in terram prosternere, imò si fieri posset, abdere sub terram, & maiori cū admiratiōe dicere. *Domine, tu venis ad me? non sum dignus vt intres sub tectū meū, sed tātū dic verbū, et sanabi. ut anima mea.*

FINIS.

Scripsit J. W. Paderb.







Th
4475